Deo optimo maximo uni & trino, Virgini Deiparæ, & ſancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

Quodlibetariis diſputationibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigeſimâ-tertiâ Decembris, 1706.

M. JOANNE BAPTISTA ENGUEHARD, Doctore Medico, Præſide.

An Medicina ſit adjectio deficientium, detractio redundantium?

MEDICINA ſpirans eſt imitatio naturæ: in hanc acriter defixa ſenſûs admovet rationis que facem, quâ propiùs intuetur archetypum ac effingit; ab eo decedere vel minimùm medicinæ nefas, & inſtar picturæ moli, coloribus, lineamentis, characteribus unis immorari. Intimam exquirit corporis ſubſtantiam, compagem, temperamentum, texturam inveſtigat partium, diſcrimina, cohæſionem, ſitum, communionem, canales, queis ſulcantur, uſus & officia, quibus defunguntur. Accuratè notat infinitam ductuum ex truncis diſparibus in ſurculos innumerabiles fruticantium ſeriem obviis paſſim diverticulis huc illuc oberrantem; tam concinnos quoque tot organorum utilitatis, ſic ordinis gradibus diſcretorum apparatus: ex iis omnibus invicem implexis, aut inter ſe communicantibus miræ liquorum utilium deductiones intrò, miræ ſuperfluorum vacuationes foràs conſequuntur. Solidis partibus ſic affabrè textum, liquidis jugiter irrigatum, & hàc illàc perfluens intrà modum ſtare ac vigere corpus (monſtrante ſenſu) didicit divinus ſenex; artem ideo naturæ ſtudioſam ac æmulam adjectione deficientium, redundantium detractione contineri jure pronuntiavit.

UT ſenſus primam ſufficit naturæ imaginem menti, ſic continuâ obſervatione mens vivam exprimit ejus tabellam ac in ſe recondit. In hanc intenta novit veros naturæ motus, inclinationes, auctus, decrementa; mutationes ratione temperamenti, ſexûs, victûs, ætatis, cæli ſolive, anni tempeſtatum, varii vitæ deſidis, aut actuoſæ generis, & iſtius modi adjunctorum queis afficitur in dies, & fugiendis petenda diſcernit. Iſthæc ſingula maturo & acri perpendens examine ratio non dedignatur conſortium obſervationis & imperium; illius ſe legibus aſtringit lubens, nihil appingit naturæ diſſonum, nec ultrà citrà que vagatur nubes, & inania captans. Hæc fuit norma divini ſenis, qui vagientem in cunis, & voces reddere neſciam adhuc medicinam aluit, eduxit, & certo incedentem pede firmavit. Omnem ſub tanto cultore vigorem ferè conſequuta, quot verba, tot protulit oracula in hominum ſalutem, cujus, quàm potis eſt, ſervandæ ſibi conſcia floreret in præſens, ni tranſuolans veſtigia ducis ante ſe poſita lubricis & fallentibus inſiſteret. Nunc quis medicinæ ſtatus? an vultus idem, eadem forma ſibi & naturæ per omnia conſentiens? hæc ſublimes ructatur Matheſeos leges, quarum ad numeros & libellam expendit naturam, & eam, dum fertur in ruinam præceps, calculis & librationibus incaſſùm metitur: illa patrios faſtidit cancellos fundi vicini amore capta, patentes in immenſum percurrit phyſicæ campos; nunc Epicuri, Ariſtotelis, nunc Carteſii, Paracelſi jurans in verba, verſicolor hæc & illa plerùmque confundens, operum ſterilis, & effœta, moroſa ſemper, & altercationum ferax. Diogenes meridianâ luce vel accenſâ face non internoſceret nobilem hanc matronam ſic ludicram, ſic perſonatam; rideret Democritus, Heraclitus infortunatam, aut ademptam lugeret. Fucum exuet formam reſumptura, ſi naturam operantem ſolis ac irretortis obſervationis & comitis individuæ rationis oculis aſſiduiſſimè contempletur.

NATURAM hominis immortalem partim, partim & mortalem ex igne & aquâ, facultate diſſidentibus, uſu conſentientibus conſtitutam Hippocrates affirmavit. Utriuſque felici in ſemine connubio vita primulùm occipit: ignis confuſas humoris moleculas evolvit, ſuis aptat locis, & alias ex aliis pendentes & concatenatas diſtendit rore novo, paulatim adauget & ad debitam magnitudinem perducit. In ortu, progreſſu, ſtatu, vis ejus negotioſa ſemper, ſive formet ex humore corpus, ſive cudat humorem in corporis officinis, incuneet alibilem cogatque in partium intervallis, ſupervacuum extrudat ex incerniculis, ſeu partes ipſas, dum intimè ſubit è perpendiculo dimotas ad agendum impellat. Alterum alterius poſcit opem principium ad vitæ tutelam; utrumvis ſeorſùm ſatis non eſt, alioquin motus deeſſet, aut alimentum. Ambo ſufficiunt tùm aliis omnibus, tùm ſibi mutuò: ignis omnia per omnia movet, aqua omnia in omnibus nutrit. Utriuſque conjugio debet adeſſe modus, non æquilibrium, æquilibrio feriarentur: modò ſuperant, & ſuperantur: igne ſuperante minuitur humor ac deficit, ſuperato redundat ac ſuperfluit; ſic gratâ ignis ſuperantis, & ſuperati vice adjectio deficientium detractioni redundantium, & adjectioni deficientium detractio redundantium ſuccedit.

IGNIS & aqua mutuâ virium temperatione coëunt in unum & ἔμφυτον τὸ θέρμον componunt. Calidum innatum ſive ſit inſitum partibus in primâ origine, ſive iiſdem allabatur à conformatione, numquam feriatur ab opere, & ſui proinde facit jacturam. Radiat aſſiduâ motione particularum, & eundo vires acquirit; pari deteritur earum fluxione, & in momenta diſſipatur. Sic quem profert gradum ad vitam, eumdem ad interitum feſtinat, ni ſimilibus appoſitis damna reſarciret: ruenti conſulit fulturæ cibo potuque, ex iis elicit humorem confuſaneum, alibilem apponit ſibi, rejectaneum ſeponit. Pabuli ſcilicet acceſſione vegetius factum interiorem intendit motum, conſociat quidquid adeſt mole, textu, figurâ, pondere, motu que ſimile, exigit diſſociabile, & velut inteſtini motûs obicem circulari trudit ad vias vacuationi convenientes, & tanquam redundans foràs excludit. Bijugum incitat hunc motum aër: circumfuſus urget preſſu ac elatere diverberat calidum innatum: inſpiratus ipſum permeat, cum eo circumagitur, & ex ſtagnaturo diffluens reddit ac liquidum: circuitione vietus & iners expiratur, inſpirationis reciprocatione renovandus. Hominis perpende naturam, quà creſcit, viget, ſeneſcit, totam comperies neceſſariis apponendis, inutilibus detrahendis jugiter incumbentem; ſtatim ac illis deficitur, vel his obruitur, omni privatur motu, & vitam cum morte commutat.

QUÆNAN igitur opera medicinæ, quæ cura, quis ſcopus? Corporis humani nata ſubſidio conniti debet, ut plenum exonerando levet, inane recreet inſtaurando, ſanum æſtimet ex æquo calidi innati motu, & cum eo commetiatur. Functionum integritas juſtæ ſit utriuſque ad ſeinvicem proportionis menſura. Hanc excedit habitus corpulentior, ad opus pigrior, vaſis tumentior, ſtatim ideò vacuatione ſolvendus: deficit ab eâ macilentior in dies, languidior in penſo, vaſis flaccidior; propterea pabulatione reficiendus. Huic primæ ſi pareat legi & velut acui nauticæ ſe penitùs addicat Medicus, ut rectum, ſic obliquum internoſcet certò, nec umquam de alterutro temerè pronuntiabit. Penſitatis deinde ſubſtantiâ, compage, temperamento corporis univerſi: textu, differentiis, cohæſione, ſitu, communione, uſibus & officiis ſingularum partium diligenter examinatis dignoſcet quæ ſit totius, quæ partis cujuſque virtus, deſtinatio, conſenſus, & conſpiratio: tum quibus ſervetur aut lædatur cauſis, ſi ſexûs, victûs, ætatis, cæli ſolive, anni temporum, varii vitæ deſidis aut actuoſæ generis, & ſimilium adjunctorum vires exploret, & ad connatam corporis & partium conſtitutionem ſedulus expendat. Sua ſcilicet eſt corpori partibuſque ſanitas, ſua ægritudo, non aliundè repetendæ, quàm unde manant, & foventur. Iſthæc rerum ſenſibilium concurſio, & frequens viciſſitudo calidum innatum continuò diffluens reparat, auget, imminuit, abſumit, diverſimodè immutat, & efficit apponendo utili, & inutili ſeponendo par, aut impar.

Ergò Medicina eſt adjectio deficientium, detractio redundantium.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Ludovicus Guillot.	*M. Philippus Fontaine.*	*M. Joannes Cordelle.*
M. Joannes Baptiſta Fermelhuis.	*M. Antonius Pepin.*	*M. Petrus Yon.*
M. Joannes Depiney Peſchard.	*M. Petrus Azevedo, Scholarum Profeſſor.*	*M. Antonius de Sainct-Yon, Medicus Regis ordinarius, Academiæ Cenſor.*

Proponebat Pariſiis FRANCISCUS POUSSE, Cenomanus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1706.